Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift



13.

poralis homo dicitur sed plasmatus. Sicut in
consequentibus scriptum est. Ait enim: Et plasma
uit dominus hominem. id est finxit de eme limo. Is autem
qui ad imaginem dei factus est ac similitudinem inte
rior homo noster est. inuisibilis et incorporalis. et
incorruptus atque inmortalis. In his enim talibus
dei imago rectius intellegitur. Si quis uero hunc
corporeum putet esse qui ad imaginem et similitu
dinem dei factus est. dum ipsum corporeum et huma
nae formae uidetur inducere. Quod sentire
de deo manifestissime impium est. Denique car
nales isti homines qui intellectum diuinitatis
ignorant. si sibi in scripturis de deo legunt quia
caelum mihi sedes est. Terra autem scabellum pedum meorum.
suspicantur dum tam ingentis esse corporis. ut
putent eum sedentem in caelo. pedes usque ad
terram pertendere. Hoc autem sentiunt. quia
non habent illas aures quae digne possint
audire uerba dei de deo. quae per scripturam referuntur.
Quod enim dicit caelum mihi sedes est. Ita digne
de eo intellegitur. Ut sciamus quia in his quorum
In caelis facta est conuersatio dominus requies
cit et residet. In his autem qui adhuc